cedere unionem ad Verbum, ut illa natura jam personata capax sit existentiæ; utrumque autem horum existimo falsum, ut latius dicam, quæst. 17, quia non potest unio realis fieri, nisi ad actualem entitatem realem, in qua intrinsece et absque ullo medio includitur existentia; hic ergo modus dependentiæ naturæ a subsistentia, vel unione, verus non apparet, nec ratione illius credi potest unam esse actionem, qua humanitas unita est Verbo, et in rerum natura producta.

13. Est ergo alia sententia, affirmans subsistentiam propriam esse terminum existentiæ, et quasi complementum naturæ existentis. Et juxta hanc sententiam sustineri potest, naturam pendere in esse simpliciter e sua subsistentia, quia non potest naturaliter existentiam recipere, nisi terminatam, et cum suo complemento. Ex quo fit, ut per eamdem indivisibilem actionem producatur res subsistens cum sua existentia et subsistentia. Quod facilius intelligetur, si supponamus subsistentiam naturæ non fieri per resultantiam ab ipsa natura existente, sed immediate fieri ab ipso agente, seu creante naturam; nam proprie non creat naturam, sed personam vel suppositum; unde una indivisibili actione illi communicat existentiam terminatam subsistentia. Quod potest exemplo declarari in existentia accidentis, et inhæsione ejus in subjecto; nam actualis inhæsio non est prior existentia accidentis, sed potius est ordine naturæ, aut saltem intellectu posterior, nam actualis inhærentia est modus illius existentiæ et quasi ultimus terminus ejus; et nihilominus illa existentia ita pendet ab actuali inhærentia, ut neque fieri, neque esse possit naturaliter sine illa; unde oritur ut talis inhærentia non resultet a tali existentia, sed utraque simul et per modum unius, et per unam et indissolubilem actionem fiat ab agente ex præsupposito subjecto; ita ergo, illa proportione servata, philosophari quis potest de existentia et subsistentia naturæ substantialis. Estque hic modus dicendi satis probabilis; nam, cum subsistentia sit ultimus terminus naturæ, nulla est repugnantia quod ab illa tanquam ab ultimo actu naturaliter pendeat. Et juxta hanc opinionem, consequenter dicendum videtur, hanc dependentiam naturæ existentis a sua subsistentia, suppleri in Christo per unionem ad Verbum, et consequenter in suo fieri pendere a Verbo. Ac denique propter hanc causam eadem actione fieri et uniri Verbo.

14. Sed nihilominus hic dicendi modus mihi non satis persuadetur, primo, quia probabilissimum mihi est, ut infra dicam, subsistentiam non immediate attingi ab extrinseco agente influxu creativo, vel generativo, sed resultare ex natura terminante formaliter creationem, vel generationem, ex vi intrinseca ejus, et ideo dici concreari, sicut propriæ passiones concreari dicuntur, quod magis proprie convenit subsistentiæ, quia est de consummatione substantiali ipsius naturæ; et eodem modo dicitur creatio tendere seu terminari ad rem subsistentem, quia vi sua facit rem independentem a subjecto, et ideo ex natura rei attingit rem, quæ necessario per subsistentiam completur, necessario resultantem ex esse per creationem communicato. Juxta hanc ergo sententiam non potest proprie existentia pendere a subsistentia, sed potius hæc pendet ab illa, utpote ab ea resultans. Secundo, quia subsistentia solum est quidam modus existentiæ, per quam ita terminatur, et in se fit existens, ut ei repugnet in alio subsistere; nulla est autem ratio ob quam res pendeat in esse aut fieri a modo suo, qui est posterior ipsa, et nullum proprium genus causalitatis habet in ipsa. Unde in hoc non est simile quod de accidente asserebatur; accidens enim non tam pendet ab actuali existentia, quam, mediante ipsa, pendet a subjecto, quod est propria causa ejus in genere causæ materialis; ipsa ergo actualis inhæsio est actualis dependentia accidentis a subjecto, tam in fieri quam in esse; res autem subsistens, ut sic, est independens a subjecto, et ideo subsistentia non potest habere rationem dependentiæ ab alia causa, neque ipsa etiam habet propriam aliquam rationem causæ, a qua existentia dependeat. Unde ob hanc etiam specialem rationem non videtur humanitas Christi posse dependere in suo esse simpliciter ab unione hypostatica, seu a Verbo, media unione, quia non videtur posse intelligi talis dependentia sine aliquo proprio influxu et propria causalitate Verbi in humanitatem, et in naturalem entitatem ejus; quod tamen dici non potest, quia omnis causalitas Verbi ad extra, etiam in humanitatem, est tantum effectiva, et communis omnibus personis.

15. *Occurritur objectioni.* — Nec satisfaciet qui dixerit, habere Verbum aliquem proprium influxum terminativum, qui non est propria causalitas, quamvis ad modum ejus a nobis explicetur, et ideo non repugnare esse pro-

prium Verbi; hoc (inquam) non satisfacit, quia, licet respectu unionis verum sit pendere hoc speciali modo a Verbo tanquam a proprio termino, quia dicit intrinsecam habitudinem et relationem transcendentalem ad ipsum; tamen, respectu naturæ humanæ, quantum ad suam entitatem absolutam, non potest intelligi ille specialis influxus, et causalitas quam Verbum habeat in talem entitatem; nam respectu illius non habet locum ratio termini, quia natura ut sic non dicit illam intrinsecam habitudinem, nec potest terminari ipsa a Verbo, nisi media unione, et ratione illius tantum; et ideo Doctores nunquam tribuunt humanitati dependentiam in entitate sua a Verbo, sed dependentiam suppositalem.

16. *Impugnatio refellitur.* — Quod si quis fortasse objiciat naturam substantialem non posse naturaliter esse sine sua subsistentia, et ideo necessarium esse ut naturaliter etiam pendeat ex illa, responderi uno verbo posset negando consecutionem; aliud est enim unum connecti necessario alteri, aliud pendere ex illo; nam hoc posterius significat quod sit effectus illius, aut quod per suum esse formaliter respiciat illud; potest autem esse connexio sine aliquo istorum, solum quia unum dimanet ab altero; sic enim non potest esse quantitas sine figura, nec corpus sine ubi, nec anima sine intellectu, et tamen nec quantitas pendet a figura, nec corpus ab ubi, nec anima ab intellectu; et in universum idem dici potest de quacumque essentia, et proprietate illam consequente.

17. *Quot et quales dependentiæ modi.* — Majoris tamen claritatis gratia, et quia confert ad rem de qua agimus, distinguere possumus duplicem modum dependentiæ. Unus est, quo una res pendet ab alia tanquam a propria et per se causa influente in illam illud esse in quo pendere dicitur ab illa, et hæc est propriissima et rigorosa dependentia. Alio tamen modo potest una res dici dependere ab alia, quia ita est connexa cum illa, ut, quamvis ab illa proprie non accipiat esse, tamen ita illam requirat ad existendum, ut sine illa neque naturaliter esse possit, neque illi debeatur conservatio in esse, si tali re careat, nisi supernaturaliter suppleatur. Possunt fortasse præter hos alii modi dependentiæ excogitari, sed præsenti negotio hi sufficiunt. Et prior quidem expositione non indiget, cum per se sit satis clarus, quo modo verius existimo naturam creatam quoad suum esse seu existentiam simpliciter non pendere a propria subsistentia, neque humanitatem Christi ab unione cum Verbo, quod mihi satis probant rationes parum antea factæ. Posterior autem modus dependentiæ declaratur primum exemplis: illo namque modo dici potest sine improprietate pendere materiam a quantitate, non quod quantitas influat esse in materiam, cum potius (juxta probabiliorem sententiam) quantitas sit passio consequens materiam; sed quia quantitas est talis dispositio, et tam intrinseca materiæ, ut omnino præter naturam ejus sit sine illa conservari, ita ut, si quantitas ab illa separetur, consequens sit illam desinere esse, quia debitum ei non est hoc modo conservari in esse. Atque hoc modo censent multi in consecratione Eucharistiæ materiam panis desinere esse ex vi actionis, qua separatur quantitas panis ab ipsa, quia non est naturaliter debitum illi conservari in tali statu, ut infra suo loco dicetur. Et fortasse dependentia materiæ a forma est ejusdem rationis, quia, cum materia habeat esse per creationem, non videtur posse forma directe influere in actionem qua fit materia, et consequenter neque in esse illius. Solum ergo requiri potest ut illa sit tanquam quidam actus, et complementum ejus; quo si omnino vacua reperiatur, non debetur illi conservatio in esse; sicut nec debetur fieri, nisi ut actu sit sub aliqua forma.

18. Ad hunc etiam modum videtur reduci dependentia, quam naturale compositum habet ex materia et tali forma, seu unio harum partium inter se a dispositionibus accidentalibus, nam dispositiones non habent aliquem directum influxum in ipsam unionem, quia non habent effectivum, ut suppono; loquor enim de illis dispositionibus quæ effective manant a forma; illæ enim dispositiones, cum supponant in genere causæ efficientis formam in materia, non possunt illam efficere. Neque etiam habent influxum formalem, quia hoc modo solum reddunt subjectum calidum aut siccum, etc.; causalitas vero dispositiva solum videtur in hoc consistere, quod illud compositum talis est naturæ, quod ad naturalem statum suum postulat, talibus dispositionibus esse affectum, quibus sublatis, ei debita non est conservatio in esse. Et alia similia exempla hujus connexionis et dependentiæ afferri possent. Ratio autem a priori non est alia, nisi quia hic modus connexionis et dependentiæ non involvit repugnantiam, et aliunde est consentaneus indigentiæ et im-

perfectioni rerum creatarum; quæ ut esse naturaliter possint, non solum proprias ac per se causas, sed etiam plures conditiones, dispositiones, aut intrinsecos modos requirunt. Item, quia substantia creata sine accidentibus omnino esset frustra, ut anima sine potentiis, quia non esset apta ad aliquam operationem, nec ad aliquem finem; et ideo, sublatis hujusmodi necessariis proprietatibus, non debetur illi esse, nec influxus ille quo in esse conservatur. Et hoc modo nulla est substantia creata, quamtumvis incorruptibilis, quæ per actionem positivam destrui non possit, separando, scilicet, ab ea intrinseca accidentia, seu proprietates sine quibus naturaliter esse non potest. Neque hoc est contra incorruptibilitatem talium rerum, nam ad hanc satis est ut illa actio nulla vi agentis naturalis sit possibilis, sed sola virtute divina, operante supra naturas rerum. Atque hac sola ratione potest convenienter defendi, hujusmodi res et substantias incorruptibiles et simplices posse converti in alias, ut latius in 3 tom. disputabimus.

19. De hoc ergo genere dependentiæ facile concedam, naturam creatam pendere naturaliter a propria subsistentia, quia sine illa nec naturaliter esse potest, neque ei debetur ut in tali statu conservetur in esse, nisi aliunde supernaturaliter suppleatur subsistentiæ defectus.

20. *Differentia inter duos assignatos dependentiæ modos.* — Est autem in hoc notanda differentia inter hunc modum dependentiæ et priorem, quod res, quæ priori modo dependet a pluribus causis, non potest concipi simpliciter existens, priusquam dimanet ab omnibus illis, et a qualibet earum in suo genere; et hac ratione actio causæ secundæ non potest intelligi ut existens priusquam dimanans a causa secunda et prima, quia ab utraque per se et essentialiter pendet; et similiter forma accidentalis non potest naturaliter prius esse existens, quam procedens tam ab agente, quam a subjecto aut materia, quia ab utroque simul per se pendet. At vero in posteriori genere dependentiæ, res, quæ ab alia pendere dicitur illo modo, præintelligi potest ut prius natura simpliciter existens, quia non pendet ab illa ut ab influente directe ipsum esse. Et hinc etiam fit ut, non obstante hoc genere dependentiæ, possit id, quod dependet, esse principium efficiens ejus a quo pendere dicitur, quia supponitur jam habere esse per quod possit illud causare, et non pendet ab illo, nisi ut a conditione consequente suum esse, suamque entitatem, et afficiente ipsam; hoc autem in priori genere dependentiæ fortasse repugnat, quia, cum efficere supponat esse simpliciter, non potest intelligi quod aliquid sit vera et propria causa efficiens alicujus propriæ causæ sui esse; sed hoc spectat ad longiorem physicam disputationem. Denique hinc fit ut, licet in priori modo dependentiæ una interveniat actio, per quam effectus fit dependenter ab omnibus suis causis per se, ut videre licet, et explicatum est in eductione formæ dependentis in esse et fieri a materia, tamen in posteriori modo dependentiæ, præter actionem per quam res manat a propriis causis suis, fere semper intervenit alia actio vel dimanatio, per quam fit ea rei conditio vel proprietas, a qua res illo modo pendere dicitur, sicut patet in dictis exemplis; nam in creatione animæ cum suis potentiis, intelligitur creatio terminata ad substantiam animæ, et deinde dimanatio potentiarum ab ipsa anima; et idem communiter censetur de ultima dispositione dimanante a forma, nam supponit generationem terminatam ad substantiam, et addit denominationem distinctam; sive enim illa vocetur propria actio, sive non (quod ad quæstionem de nomine spectat), non potest tamen negari quin sit influxus distinctus, et separabilis a priori actione; imo interdum contingit impediri et postea expediri, ut patet in aqua calida reducente se ad pristinam frigiditatem. Atque idem fortasse est de materia et quantitate; supponitur enim creatio materiæ, et deinde resultat quantitas, sive resultet mediante forma, ut quidam volunt, sive ab ipsa entitate materiæ, ut est probabile, vel, ut alii volunt, immediate a Deo confertur creante materiam, et dante illi proprietatem connaturalem et debitam ex principio passivo potius quam activo; et tunc etiam necessaria est propria actio, vel quasi actio qua fiat quantitas, nam creatio materiæ ut sic ad solam substantiam terminatur, et de potentia absoluta posset præcise fieri sine adjectione quantitatis; ergo, cum nunc additur quantitas, nova effectio est, quæ solet concreatio vocari, quia cum creatione ex natura sua conjuncta est, re tamen vera ex illa et creatione non componitur una propria actio, sicut ex substantia materiæ et quantitate ejus non fit unum per se proprie, sed per accidens.

21. *Animæ effectio ab ejusdem subsistentiæ effectione distincta est in re.* — Ex hac ergo

doctrina definiendam esse censeo præsentem quæstionem; et imprimis de humanitate seu anima, et subsistentia propria, censeo fieri per actiones vel effectiones aliquo modo in re distinctas et separabiles. Et quidem, si verum est subsistentiam resultare effective a natura, res est clara, quia illa resultantia quoddam genus effectionis est, distinctum ab ipsa creatione, cum et sit a distincto principio proximo, et tendat ad terminum ex natura rei distinctum, et de potentia absolnta suspendi et impediri possit, manente creatione et termino ejus. Si autem subsistentia non manat active a natura, sed sit etiam a solo creante vel generante, sic etiam distincta erit effectio, quamvis principium agens vel creans non sit distinctum, quia et termini sunt distincti, et unus ad alterum simpliciter præsupponitur ordine naturæ; denique etiam hoc modo est prior effectio a posteriori de potentia absoluta separabilis. Et ratio sumitur ex dictis, quia natura non pendet a subsistentia, ut a propria causa vel principio, sed ut a conditione consequente ipsam, et ideo per distinctam effectionem consequitur vel conjungitur illi, licet propter naturalem concomitantiam dicantur fieri per modum unius. Quod si quis contendat, ex effectione naturæ et subsistentiæ unam actionem consurgere, sicut ex natura et subsistentia una substantia componitur, contra hoc non admodum disputabo; est enim probabilis dicendi modus, quia actio imitatur naturam sui termini, in quo facile potest constitui differentia inter hanc effectionem subsistentiæ, et dimanationem propriarum passionum, quia per has non completur substantialiter terminus creationis, sicut per illam. Hoc autem censeo probabile, dummodo non negetur illam actionem esse compositam, et non omnino simplicem; et ea, ex quibus componitur, ex natura rei esse distincta, scilicet, effectionem naturæ, et effectionem modi seu termini, aut subsistentiæ ejus; sic adeo ut in re ipsa separabiles sint, ut antea dicebam; et ideo superius non simpliciter dixi has esse distinctas actiones, sed aliquo modo in re ipsa distingui, sive ut duas actiones, sive ut partes ejusdem actionis compositæ, sive ut substantiam et essentiam unius actionis, et modum quemdam et complementum ejus, separabilem ab ipsa, sicut essentia naturæ est a subsistentia separabilis. Quinimo, etiam si quis contendat illam actionem ita esse unam, ut etiam de potentia absoluta sit, ut ita dicam, indissolubilis, ita ut non possit manere eadem numero actio, quæ est effectio naturæ, si suspendatur effectio subsistentiæ, præterquam quod hoc gratis et sine fundamento dicet, quod non levibus argumentis et incommodis impugnatum est, adhuc eo posito negandum non est illam actionem esse compositam, sicut est terminus ejus, in quo sunt entitas naturæ, et modus subsistentiæ, ex natura rei distincta, et in actione reperitur productio entitatis naturæ, et comproductio et quasi additio subsistentiæ; unde necesse est ut per illam actionem aliquod esse reale fiat in natura, distinctum ex natura rei ab ipsa subsistentia; unde cum actio identificetur realiter cum termino tanquam fieri ejus, necesse est ut ubi terminus est compositus, actio etiam composita sit, sive sit indivisibilis, seu indissolubilis, ut etiam de potentia absoluta non possit manere secundum aliquid sui, nisi etiam sit secundum totum suum complementum; sive, quod verius est, de potentia absoluta possit esse illa actio præcise, ut est productio vel creatio naturæ, etiam si non sit comproductio vel concreatio subsistentiæ.

22. *Creatio animæ Christi et unitio ejus ad Verbum distinctæ sunt actiones.* — Ultimo ex dictis omnibus colligitur resolutio præsentis quæstionis; dicendum est enim primo, distinctas esse in re ipsa actiones, quibus anima, verbi gratia, Christi creatur, et Verbo unitur, vel quibus formatur humanitas, et Verbo copulatur; nam, quod effectiones sint aliquo modo distinctæ, evidenter sequitur ex dictis. Primo, quia effectio subsistentiæ propriæ est in re distincta ab effectione naturæ; ergo multo magis effectio unionis hypostaticæ est distincta ab effectione naturæ, quæ unitur; nam multo magis peregrina est (ut sic dicam), et extrinsecus adjuncta unio, quam subsistentia propria. Secundo, quia effectio animæ Christi, verbi gratia, est vera creatio, ejusdem rationis essentialis et specificæ cum actione, qua producitur substantia cujuslibet alterius animæ rationalis, ut et testimoniis et rationibus satis probatum est; effectio autem unionis non est creatio, quia non est actio ex nihilo, sed ex præsupposito subjecto, scilicet, humanitate, quæ ex non unita fit per illam actionem unita Verbo; recte enim potest humanitas, quamvis non supponatur subsistens, esse subjectum hujus effectionis, quia per illam eo tendit ut in alio subsistat. Unde fit tertio, ut prior effectio ad ordinem naturæ pertineat, posterior vero sit in supremo or-

dine supernaturalium rerum, qui est gradus unionis hypostasticæ. Quarto tandem fit, ut prior effectio interdum sit per modum conservationis, ut in materia; interdum per veram creationem, ut in anima Christi in primo instante incarnationis; interdum vero per modum cujusdam naturalis mutationis, ut in formatione seu conceptione humanitatis Christi; nam, licet illa quoad modum fuerit supernaturalis, tamen quantum ad substantiam, id est, quantum ad unionem animæ cum corpore, fuit naturalis mutatio. At vero posterior effectio essentialiter est quædam mutatio maxime supernaturalis in sua essentia et specie. Neque hærendum est in nomine mutationis, eo quod incarnatio simul tempore cum creatione animæ et formatione humanitatis facta sit; et mutatio dici non soleat, nisi illa qua res aliter se habeat quam priori tempore se habuerit; nam nec certum est hunc esse solum usum illius vocis; et quamvis admittatur, per illum nihil additur in significatione illius vocis ultra effectionem positivam ex subjecto, nisi denominatio quædam extrinseca, vel habitudo ad tempus præteritum, quæ non variat essentiam mutationis quoad id quod est reale et positivum in ipsa; illuminatio enim ejusdem rationis est, sive fiat in subjecto quod prius tempore fuit tenebrosum, sive in eo quod prius tenebrosum non fuit, sed simul esse incipit et illuminari; hoc ergo modo unitionem hanc, mutationem vocamus, quæ respectu materiæ primæ, etiam illo rigoroso modo, mutatio fuit, nam materia prius tempore aliter extitit; respectu vero animæ et humanitatis, quantum est ex se, potuisset eodem modo esse mutatio; de facto vero vocatur mutatio, quia est actio ex præsupposito subjecto, quod ex vi talis actionis aliter se habet quam prius natura se habebat, vel aliter quam ex natura sua existere posset. Hujusmodi enim mutationis genus in hoc mysterio necessarium fuit; nam, cum illa duo extrema, Verbum, scilicet, et humanitas, ex se et vi suarum entitatum unita non sint, non possent incipere esse unita, nisi saltem alterum extremorum aliter se haberet; nam, si utrumque omnino immutatum maneret, eodem modo se haberent, atque ita semper non unita relinquerentur. Ex his ergo differentiis et rationibus satis constat, has effectiones in re distinctas esse.

23. Quod autem sint vere ac proprie duæ actiones distinctæ, eisdem fere rationibus facile colligi potest; nam illæ duæ effectiones ad genus actionis pertinent, et non sunt partes unius actionis, cum sint diversorum ordinum, et plus quam specie differant; neque etiam una resultat ex alia; ergo sunt actiones distinctæ. Et confirmatur, nam creatio animæ, et unio ejus ad corpus, sunt actiones distinctæ; ergo multo magis creatio humanitatis, et unio ejus ad Verbum; nam major est diversitas inter has actiones, et inter terminos earum, minorque connexio inter illas ex natura rei. Posset autem aliquis excogitare et dicere quod, sicut Christus est compositus ex Verbo et humanitate, licet hæc duo extrema sint res diversorum ordinum, ita potest esse una actio composita ex creatione vel productione naturæ et unitione ad Verbum, quamvis sint diversorum ordinum. Sed hoc imprimis gratis est dictum et sine fundamento; neque exemplum illud quicquam juvat, nam inter Verbum et humanitatem intercedit vera unio; unde, licet sint res diversorum ordinum, habent inter se aliquam proportionem naturæ et subsistentiæ, ratione cujus possunt inter se uniri; at vero inter illas actiones nulla est similis proportio, nec vera unio, sed solum subordinatio quædam, quatenus una alteram supponit, qualis reperitur inter creationem animæ et unionem ejus ad corpus; in quo exemplo, nullus dicit ex illa duplici effectione componi unam actionem, cum tamen eadem sit utrobique ratio. Si quis tamen diceret, illam unitionem ad Verbum fuisse quasi quoddam complementum creationis animæ, vel conceptionis humanitatis Christi, posset facile in bono sensu ejus sententia admitti; nam illa unitio ad Verbum supplet vicem subsistentiæ propriæ; subsistentia vero est veluti ultimum complementum creationis seu productionis rei subsistentis, et ideo unitio dici potest hujusmodi locum tenuisse in hoc mysterio.

24. *Incarnatio unitiva actio est, non alicujus unibilis productiva.* — Dico secundo: incarnatio proprie et in rigore est actio unitiva, non vero productiva alicujus extremi eorum quæ per eam uniuntur, sed solum unionis eorum inter se, seu totius compositi, ut tale est. Hæc assertio sequitur plane ex dictis, eamque præcipue intendunt auctores secundæ sententiæ. Et quantum ad rem spectat, probatum satis est dari in hoc mysterio hujusmodi actionem. Quod vero nomine incarnationis illa actio significetur, ad usum vocis magis quam ad novam rem pertinet; hic autem usus tam evidens est ex omnibus Patribus, et verbis illis: *Verbum caro factum est,*

et similibus, ut supervacaneum sit in hoc confirmando immorari. Legantur quæ de hac voce in principio hujus materiæ dicta sunt, et in comment. art. 8 hujus quæstionis.

25. *Ad prioris opinionis rationes solutio.* — Ad argumenta primæ sententiæ facilis est ex dictis responsio. Ad testimonia enim Leonis et Fulgentii dicitur, sine causa in præsente quæstione adduci, nam illi non disputant de metaphysica distinctione vel unitate actionum, sed solum contra hæreticos contendunt non prius tempore fuisse Christi animam, aut creatam, aut carni unitam, quam Verbo. Hoc patet ex antecedentibus et subsequentibus verbis Leonis: *Arbitror* (inquit) *talia loquentem, hoc habere persuasum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in cœlis sit commorata, quam de Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet; sed hoc Catholicæ mentes auresque non tolerant;* et ad hoc propositum subdit infra, animam ipsa sumptione fuisse creatam, id est, in eodem instanti quo est assumpta. Similiter Fulgentius proxime ante citata verba dixerat: *Non est igitur aliquod intervallum temporis existimandum inter conceptæ carnis initium, et concipiendæ majestatis adventum.* Addo deinde Leonem prædictis verbis insinuare (quod supra dicebamus), assumptionem ita fuisse cum creatione animæ conjunctam, ut quodammodo illam compleverit, sicut in aliis similibus per concreationem subsistentiæ propriæ compleri solet. Fulgentius vero ultra hoc significat, conceptionem carnis, non tantum ipsi carni seu humanitati, sed etiam Verbo ratione unionis, et per communicationem idiomatum esse tribuendam. Unde ad primam rationem respondetur negando sequelam, quia, ut B. Virgo dicatur concepisse Deum, satis est quod ejus actio vel conceptio in eodem instante ad Deum terminata sit, quia conceptio et generatio sicut et creatio denominat ultimum terminum, et proprie attribuitur rei subsistenti; præsertim quia (ut infra dicam) unio prius natura facta est ad corpus et animam, quam ad totam humanitatem; et ideo ex vi unionis talis animæ ad tale corpus, necessarium omnino fuit ut Deus fieret homo, quod est Deum concipi seu generari humana generatione. De qua re iterum dicendum erit sequente tomo, disput. 2, sect. 2.

26. *Dependentia humanitatis, si a Verbo divelleretur, subsistentia creata terminari deberet, ut humanitas in esse conservaretur.* — Ad tertiam, concedo sequelam, scilicet, animam Christi prius natura extitisse quam assumpta fuerit a Verbo. Et ad primam probationem, nego animam Christi formaliter existere per existentiam increatam Verbi, sed subsistere tantum per subsistentiam Verbi, existere autem formaliter per propriam entitatem creatam; de qua re dicetur iterum quæst. 17. Ad secundam probationem jam declaratum est, quomodo anima vel humanitas Christi pendeant a Verbo; non enim pendent ut ab influente existentiam mediante unione, sed ut a supplente vicem subsistentiæ propriæ, sine qua esse non potest; et ideo ex natura rei ab illa pendere aliquo modo dicitur tanquam a conditione ex natura rei necessaria ad existendum, ut supra declaratum est; quia ergo Verbum media unione supplet hanc necessitatem subsistentiæ propriæ, ideo dici potest humanitas ab illo pendere. Nec vero ob hanc causam necesse est concedere quod, si humanitas dimitteretur a Verbo, desineret esse simpliciter in rerum natura; id enim non sequitur ex natura rei, nam dissoluta unione posset perseverare actio creativa et conservativa humanitatis. Unde potius Theologi dicunt, quod in eo casu inciperet humanitas subsistere in propria persona. Solum ergo inferri potest, si humanitas dimitteretur a Verbo, necessarium esse dependentiam illius terminari per aliam subsistentiam, ut posset conservari in esse. Et consequenter etiam erit verum dicere, quod si aliunde non terminaretur illa dependentia, desineret humanitas esse simpliciter; sic enim etiam in propria dependentia effectus a causa, non sequitur, ablata causa auferri effectum, si loco illius alia succedat; sequetur tamen, si nulla alia succedere supponatur. Ad tertium, falsum est animam rationalem non prius natura creari et existere quam subsistat; per creationem enim per se primo ac formaliter datur existentia ex nihilo, subsistentia vero tanquam complementum existentiæ substantialis; et hac ratione dicitur creationem esse rei subsistentis; et hinc recte colligitur animam rationalem in sua creatione statim subsistere, ut in prima parte latius tractatur, et infra, quæstion. 6, attingemus. Nec est similis ratio dependentiæ animæ rationalis a sua subsistentia, quæ est formæ accidentalis ab inhærentia in subjecto, ut superius declaravimus; et ita responsum est ad utramque confirmationem ibi positam. Ad quartum vero, jam etiam declaratum est quomodo unio sit ex præsupposito subjecto, quam-